INSCRIPTIONES.

I

D

Roman Inscriptions
K. 7
840. k 7
7

INSCRIPTIONUM ROMANARUM METRICARUM DELECTUS.

ACCEDUNT NOTULAE.

ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ.

ΑΛΛΑ ΦΙΛΟΙΣΙ ΜΕΝ ΕΜΟΙΣΙ ΦΕΡΩ ΧΑΡΙΝ. ΕΣΤΙ ΔΕ ΜΥΣΤΑΙΣ
ΚΟΙΝΟΣ Ο ΤΩΝ ΜΟΥΣΕΩΝ ΗΔΥΕΠΗΣ ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

LONDINI.
PROSTANT APUD R. ET J. DODSLEY.
MDCCLVIII.
8.7

39
4. 13
214

LECTORI. S.

INSTITUTI noſtri rationem finemque paucis accipe. Elegantias antiquorum marmorum crebrò pervolventi mihi, magnoque ſtudio perquirenti, a Mazochio, Smetio, Grutero, multiſque praeterea doctis viris editorum, magnopere placuere ſemper illa, quae metricis numeris abſoluta proſtant, epigrammata. Quae tamen cùm, nonniſi cum praegrandi plurimarum inſuper inſcriptionum farragine, diverſiſſimi generis atque indolis, ſtyloque poetico minus expreſſarum, conjuncta reperiantur et complicata; poematiôn, quaſi novum plane, nec inelegantem libellum concinnari poſſe putavi, ſi delectu diligenter habito, lepidiſſima quaeque decerperem, ſecumque unà perſpicienda, ſeparatimque perlegenda, proponerem. Id quod ipſorum profecto poſtulabat inſignis venuſtas, tum lectorum commoditas. Etenim in lucem libertatemque, ſuaves vetuſtatis eruditae reliquias, e difficili illa monumentorum lapidumque congerie, qua dudum delituere, quaſi tenebris incluſae, magnaque reliquorum mole obrutae, vindicavimus, et in celebritatem quandam protraximus: quin et ſparſas antea diſſipataſque in unam compagem redigendo, longe facilius adeundas, percipiendaſque majori voluptate, pleniuſque quodammodo deguſtandas, effecimus. Porro, quid obſtat, quin e Latinis etiam, qualis illa Graecorum nobiliſſima, contexeretur inſcriptionibus anthologia? Neque interea me praeteriit, ejuſmodi fere opus jam olim tentaſſe Joannem Baptiſtam Ferretium, quod et nuncupaverat MUSAE LAPIDARIAE *. Cum vero ille, ſive inſcitia ſive incuria, nonnulla ſaeculi recentis admiſcuerit, permulta licèt antiqua, parum vero ſapida, quaedam etiam metro minus adſtricta, non repudiaverit; omnia denique faede mendis oppleta, literiſque praeterea majuſculis quae punctis utique perpetuis diſtinctae fere moleſtae legentibus eſſe ſolent, expreſſerit, ne dicam quod liber ejus obſoleverit, profecto nulla ſatis valida viſa eſt ratio, quo minus hic noſter etiamnum delectus, optimo jure, debuerit elaborari.

* VERONAE, 1672. fol.

In carminibus deligendis eo praeſertim proſpeximus, ut elegantiſſima ſolum, vel, quod idem fere ſonat, antiquiſſima quaelibet, adhiberentur. Quin et exquiſitiſſima monumenta, cum multis in locis conjecturis noſtris emendata, tum collatis undecunque exemplaribus, id quod minus antea ſtudioſe factum eſt, explorata, ſuo plerumque nitori, quaque caruere hactenus, integritati reſtituimus. Per omnia, demum, longe caſtigatiora, quam conſpicias alibi, dedimus.

Notularum ſeriem ſubjecimus exiguam, at nec prorſus inutilem. In illis ipſos Inſcriptionum libros fere omnes, ſaltem probatiſſimos, apud quos unumquodque a nobis editum conſervatur epigramma, ſingulatim recenſuimus: appoſitis inſuper et pagina et numero, diligenterque deſcriptis. Neque enim hoc tantum fecimus, ut plerique, levi eruditionis oſtentandae ſtudio, quantum ut aperte conſtaret quibus auctoribus, quibuſque adjumentis, ad hoc opus acceſſerimus inſtructi: tum etiam, ut ad ipſos horum ſtudiorum fontes digitum videremur intendere. Lectionum porro variantum longe pleniſſimam ſegetem congeſſimus. His autem fere illas antepoſuimus, quae conſtant in exemplaribus eorum qui teſtantur ipſa ſe vidiſſe monumenta. At nec, in hac parte, nimis ſolliciti ſumus in parvis. Quod ad ritus attinet veterum, tum praeſertim quae ſpectant ad ſepulturam conſuetudines, reliquaque hujuſmodi qualia frequentiſſime ſolent in antiquis marmoribus occurrere, in illis haud multum laboravimus explicandis. Neque enim hoc tulit praeſcriptus operi modus. Eorum ſiquis pleniorem velit notitiam, adeat pereruditum omnis antiquitatis interpretem, ne caeteros nominem, Montfauconum. Siquando tamen vis et venuſtas totius, ut fit nonnunquam, carminis, vel forte clauſulae, verteretur in aliquo minus noto more ſive inſtituto ſaeculi priſci, quo non expoſito clareque perſpecto, vis illa et venuſtas plane nulla eſſet et interitura, attulimus, quantum in nobis fuit, lucem, quaeque difficilia videbantur et obſcura, breviter illuſtravimus. Eſt et ubi dictioni parum luculentae ſubvenimus; aliaque inſuper nonnulla, quæ ſcribenti fere ultro ſubnaſci facile crederes, obiter attigimus.

Is

Is autem mihi praecipue propoſitus eſt hoc delectu conficiendo finis, ut ad antiquiora Latini carminis exemplaria, magiſque ſincera, ſtudioſam juventutem revocarem: tum, qualis vera eſſet epigrammatum ſpecies et effigies oſtenderem. Quippe falli graviſſime videntur illi, qui venerem virtutemque omnem hujus generis in ſale ponunt et facetia; idque a ſcriptore inprimis exigunt, ut ſupremus epigrammatis verſiculus quaſi feriat legentes aculeo. At ne veſtigium videmus feſtivitatis hujus in ejuſmodi carminibus, priſca adhuc florentique Graecia, tum priſtino Latio, compoſitis et elaboratis. Et profecto, ut libere quod ſentiam loquar, venuſtas horum carminum non tantum videtur in arguta concinnitate conſtare, quantum in proprietate quadam, quae licet arte et ſtudio efficienda eſt, non tamen a labore profectam fuiſſe ſuſpiceris. Nimirum ponitur in illis adhibendis ſententiis et conceptibus, quos rei ſubjectae natura, et argumenti ratio ſuppeditat ultro, quique faciles utique videntur atque obvii; quos tamen alius quiſpiam, idem tentans, haud tum levi opera conſecutus eſſet, autem ſaltem inter ſe aeque ſcite compegiſſet, metroque ſubjeciſſet. Ad veritatem quam maxime accommodate hic proferuntur omnia. Rectae rationis limatique judicii, potius quam laſcivientis ingenii, fructus, viſae ſunt hae deliciae. At ſi ſuavitas adſpergatur, ſit non dulcis illa et decocta, ſed auſtera ac ſolida. Nimia enim jucunditas non diuturna in delectatione eſſe poteſt, eſtque faſtidio finitima. Porro, ſit totius epigrammatis a capite ad calcem conformatio; juſta partium convenientia: color non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus; cultus nec diligentior nec ſumptuoſior; ornatus nudus ac tenuis, urbanus identidem, nec tamen artis expers penitus. Accedant munditiae illae teretes et minus operoſae.

Denique, tum demum voti mei factum me compotem putavero, ſi forte mea qualicunque opera, pertenui profecto ſpecimine, perfecerim, ut poeſeôs Latinae reviviſcat antiquus genius; ſi pro ſale et acumine, quibus lautitiis adeo delectari videmus recentes poetas, ſimplex tandem lepos, quo ſolo jucundiſſimoque veteres utebantur condimento, reſtitui poſſit et adhiberi. Vale.

INSCRIPTIONES.

I.

ROMAE.

IN VILLA CAESARINA.

UMBRARUM ſecura quies, animaeque Piorum
Laudatae, colitis quae loca ſancta Erebi;
Sedes inſontem Magnillam ducite veſtras,
Per nemora, et campos protinus Elyſios.
Rapta eſt octavo, fatis inſtantibus, anno,
Carpebat vitae tempora dum tenerae.
Formoſa, et ſenſu mirabilis, et ſuper annos
Docta, decens, dulcis, grataque blanditiis.
Perpetuo talis gemitu lacrymiſque colenda,
Infoelix aevo tam cito quae caruit:
An foelix, aegrae, potius, ſubducta ſenectae?
Sic Hecuba flevit Pentheſilea minus.

II.

ROMAE.

D. M.

Flaviae Dionyſiadis.

Hic jacet exiguis Dionyſia flebilis annis,
Extremum tenui quae pede rupit iter.
Cujus in octava laſcivia ſurgere meſſe
Coeperat, et dulces fingere nequitias.
Quod ſi longa tibi manſiſſent tempora vitae,
Doctior in terris nulla puella foret.
Vix. Ann. vii. Mens. xi. Dieb. xv. Hor. vii.
Antia Tibulla Vernae ſuae dulciſſ. fecit.

III.

VITERBII.

Euodiae Cyparae. An. vi.

Sum caſtae cinerum Lapis puellae
Cuſtos. Me relegens pius viator,
Hujus cognita ſi tibi fuiſſet
Virtus, lachrymulis tuis rigares.

IV.

NEAPOLI.

D. M.

Gliconi. Vernae Dulciſſ.

Verna puer, puer O mi verna, quis ah, quis ab aura
In tenebras rapuit perditus? Ah morerer
Nì tecum aſſidue loquerer, nì ſaepe jocando
Fallerer, hinc dum te continuo aſpicio.
Semper ero tecum, et ſi me ſopor occupet, umbram
Te umbra petam, ergo unquam ne metue abs te abeam.

V.

ROMAE.

Ruſticell. M. L. Cytheris.

Quandocunque levis tellus mea conteget oſſa,
Inciſum et duro nomen erit lapide;
Siqua tibi fuerit fatorum cura meorum,
Ne grave ſit tumulum viſere ſaepe meum:
Et quicunque tuis humor labetur ocellis,
Protinus inde meos defluat in cineres.

VI.

In Horto Paganorum, ſub Caseta.

Apollonia quae vocitabar
Lapide hoc incluſa quieſco.
Ipſo mihi flore juventae
Ruperunt fila ſorores:
Annos poſt decem et octo,
Vetuerunt viſere lumen.
Unum ſortita maritum,
Servavi caſta pudorem.
Mater miſera hoc monumentum
Extruxit Olympias amens.
Haec ſunt. Bene vive, viator.

VII.

In Urbe AIXME Tarantefiae in Alpibus.

Silvane, ſacra ſemicluſe fraxino,
Et hujus alti ſumme cuſtos hortuli,
Tibi haſce grates dedicamus maximas,
Quod nos per arva, perque montis Alpicos,
Tuique luci ſuaveolentis hoſpites,

Dum jus guberno, remque fungor Caeſarum,
Tuo favore proſperante ſoſpites.
Tu me, meoſque, reduces Romam ſiſtito;
Daque Itala rura te colamus praeſide:
Ego jam dicabo mille magnas arbores.

T. Pomponii Victoris. Proc. Augusti.

VIII.
SPOLETI.

Artibus ingenuis cura perdocta ſuarum,
Sortita egregium corporis omne decus;
Nondum bis ſeptem plenis praerepta ſub annis,
Hac Corale caſta condita ſede latet.
Ludite felices, patitur dum vita, puellae;
Saepe et Formoſas triſtia fata ferunt.

IX.
ROMAE.

Monumentum abſolvi ſumptu et impenſa mea;
Amica tellus ut det hoſpitium oſſibus:
Omnes quod optant, ſed foelices impetrant.
Nam quid egregium, quidve cupiendum eſt magis,

Quam libertatis ubi tu lucem acceperis,
Feſſae ſenectae ſpiritum ibi deponere?
Quod innocentis argumentum eſt maximum.

X.

ROMAE.

Memoriae M. Lucceii M. F. Nepotis Sex. Onuſianus.

Cum praematura raptum mihi morte Nepotem
Flerem, Parcarum putria fila querens;
Et gemerem triſti damnatam morte juventam,
Verſaretque novus viſcera tota dolor;
Me deſolatum, me deſertum, ac ſpoliatum
Clamarem, largis ſaxa movens lacrimis:
Exacta prope nocte, ſuos quum Lucifer ignes
Spargeret, et volucri roſcidus iret equo:
Vidi ſidereo radiantem lumine formam
Aethere delabi; non fuit illa quies;
Sed verus juveni color et ſonus; et ſtatus ipſe
Major erat nota corporis effigie:
Ardentis oculorum orbes, humeroſque nitentis
Oſtendens, roſeo reddidit ore ſonos:

" Adfinis memorande! quid O me ad ſidera coeli
Ablatum quereris? Deſine flere deum.
Ne pietas ignara ſuperna ſede receptum
Lugeat, et laedat numina triſtitia.
Non ego Tartareas penetrabo triſtis ad undas,
Non Acherontaeis tranſvehar umbra vadis:
Non ego caeruleam remo pulſabo carinam,
Nec Te terribili fronte timebo, Charon;
Nec Minos mihi jura dabit grandaevus, et atris
Non errabo locis, nec cohibebor aquis.
Surge, refer matri; ne me noctesque dieſque
Defleat, ut maerens Attica mater Ityn.
Nam me ſancta Venus ſedes non noſſe Silentûm
Juſſit, et in coeli lucida templa tulit."
Erigor, et gelidos horror perfuderat artus;
Spirabat ſuavi tinctus odore locus.
" Die Nepos, ſeu tu, turba ſtipatus Amorum,
Laetus Adoneis luſibus inſereris;
Seu grege Pieridum gaudes, diviſque Camaenis,
Omnis coelicolum te chorus inſequitur;
Seu libeat thyrſum gravidis agitare corymbis,
Et velare comas palmite, Liber eris;

Paſcere ſi crinem, et lauro redimire capillos,
Arcum cum pharetra ſumere, Phoebus eris.
Indueris teretes manicas, Phrygiamque tiaram?
Non unus Cybeles pectore vivet Atys.
Si ſpumantis equi libeat quatere ora lupatis,
Cyllare formoſi membra vehes equitis.
Sed quicunque deus, quicunque vocaberis heros,
Sit ſoror, et mater, ſit puer incolumis.
Haec dona unguentis, et ſunt potiora metallis,
Quae non tempus edax, non rapit ira Jovis."

XI.

ROMAE.

O utinam vivo potuiſſem praemia morum
Reddere; nunc lacrimas accipe pro meritis.
Nam ſemper, fateor, tacita te mente probavi,
Detexit ſenſus ultima flamma meos.
Tu columen rerum ſemper, tu, cura mearum,
Nunc eris et luctus tu quoque cauſa mei.
Oſſibus infundam quae nunquam vina bibiſti.

* * * * * * * * * * * * * *

Oneſimi Anicetus cariſſimo fecit Domino.

XII.

ROMAE.

Hujus Nympha loci, ſacri cuſtodia fontis,
Dormio, dum blandae ſentio murmur aquae.
Parce meum, quiſquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpere; ſive bibas, ſive lavere, Tace.

XIII.

TARRACONE.

D. M.

Eutycheti Auri. An. xxii.

Fl. Rufinus et Semp. Diofanius Servo B. M. F.

Hoc rudis aurigae requieſcunt oſſa ſepulchro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Jam qui quadrijugos auderem ſcandere currus,
Et tamen a bijugis non removerer equis.
Invidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas oppoſuiſſe manus.
Nec mihi conceſſa eſt morituro gloria Circi,
Donaret lacrymas ne pia turba mihi.

Uſſere ardentes intus mea viſcera morbi,
Vincere quos medicae non potuere manus.
Sparge, precor, flores ſupra mea buſta, viator,
Faviſti vivo forſitan ipſe mihi.

XIV.

ROMAE.

Ingratae Veneri ſpondebam munera ſupplex,
Erepta, conjux, virginitate tibi.
Perſephone votis invidit pallida noſtris,
Et praematuro funere te rapuit.
Supremum verſus munus donamus, et aram;
Et gratam cape ſis, docta Pedana, chelyn.
Me nunc torquet amor: tibi triſtis cura receſſit,
Lethaeoque jaces condita ſarcophago.

XV.

ROMAE.

Vixiſſes utinam, et potius mea muſa taceret,
Quam mihi ſcribendi cauſa, Latina, fores!
Vixiſſes! neu te ſurgentem in vota tuorum,
Aſpicerem addictam Manibus ire ſacris.

Sed quoniam Parcis vetitum eſt nihil, accipe noſtri
Aeternas eheu! carminis exequias.

XVI.

ROMAE.

Quae tibi cumque mei potuerunt pignora amoris,
Nata, dari, populo ſunt lacrumante data.
Et volui majora; nimis ſed cura meorum
Fida, tui prohibet me cinerem eſſe rogi.

XVII.

NEAPOLI.

D. M.

Criſpe, fili lepidiſſime,
Heu, heu! Orcus cum te voravit,
Delicium mihi omne abſtulit:
Baculum, exuctis medullis,
Edentulae ſenectutis ſecuit:
Spem nepotum abſtraxit
Secum maximam.
In tanta demum orbitate

Deſolatus ſuperſum, ut ni,
Qui ſecus ſentiunt, Manes
Vetuiſſent, vivum me tecum
Contumulaſſem.
Vixit ANN. xii.

XVIII.

UTRARIAE in BAETICA.

Pylades AnnI Novati Patris H. S. E.

Subductum primae Pyladen haec ara juventae
Indicat, exemplum non leve amicitiae.
Namque ſodalitii ſacravit turba, futurum
Nominis indicium, nec minus officii.
Dicite qui legitis, ſolito de more, ſepulto
Pro meritis, Pylades, ſit tibi terra levis.

XIX.

Quae te ſub tenera rapuerunt, Paeta, juventa
O utinam me crudelia fata vocent:
Ut linquam terras, inviſaque lumina ſolis,
Utque tuus rurſum corpore ſim poſito.

Tu cave Lethaeo continguas ora liquore,
Et cito venturi ſis memor, oro, viri:
Te ſequor obſcurum per iter: comes ibit eunti
Fidus Amor, tenebras lampade diſcutiens.

XX.

MUTINAE.

Salluſtiae Aphroditae Congidius L. F. Conjugi
Bene Merenti cum qua vixit An. xxvii. Menſ. viii. Dieb. vi.

Quod vivens merui, moriens quod et ipſa rogavi,
Conjugis hoc moeſti reddidit ecce fides.
Sit licet infernae noctis triſtiſſimus horror,
Me tamen illius credo jacere toris.
* * * * * * * * * * * * * * *
Te, pie poſſeſſor, ſive, colone, precor,
Ne patiare meis tumulis increſcere ſylvas,
Sic tibi dona Ceres larga det et Bromius.

XXI.

Fil. Sabinae Dulciſſ.

Quiſquis ades, celeri greſſu procul ito, viator;
Ito procul, et linque nefas; tibi dico, viator,

Parce oculis, nec noſtra velis cognoſcere fata,
Sanguinea palla quae texit provida Clotho,
Et pavit rupiſſe ſuas quoque fila ſorores.

XXII.

In Agro Tusculano.

M. Gellius Maximus Phoebo Lib. optum.

Hic ſitus eſt, Gelli quondam pars maxima, Phoebus,
Adfectus omnes poſſidet iſte lapis.
Vix conſummavit ſeptem quinquennia luſtri,
Oſcula ferventem nec tenuere animam.
Quod ſi mutari potuiſſent fila ſororum,
Gauderet condi Maximus hoc tumulo.

XXIII.

Funere non aequo puer immaturus obivi,
Marmoreiſque meis hic jaceo thalamis.
Non potui parvus puerilem implere catervam,
Nec veſtire meam flore novo faciem.
Nec ſenior capiti niveos mutare capillos,
At fato victus ſorte puerperii.

Heu crudele nefas! quae me generaverat hora,
Haec eadem vitae terminus hora fuit.

XXIV.

ROMAE.

Hoſpes, quod dico paullum eſt; aſta, ac pellige.
Heic eſt ſepulchrum haut pulchrum pulchrai faeminae:
Nomen parentes nominarunt Claudiam:
Suom marietom corde dilexit ſouo:
Gnatos duos creavit; horumc' alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:
Domum ſervavit, lanam fecit. Dixi. Abei.

XXV.

Julia, quae longa fueras digniſſima vita,
Excidis, e noſtro rapta puella ſinu.
Sed comes ardenti nunc degis juncta coronae,
Nunc Helicen propius cernis et Andromedan.
Me cruciat, conjux, miſerumque abſumit amantem
Saevus amor, nullis ignibus inferior.

Namque ego, ſeu rebus fuerim diſtrictus agendis,
Seu vacuo dederim languida membra toro;
Tu mihi ſemper ades, tua praeſens ſemper imago,
Quae miſero moveat flebile cordiolum.
Improba, cur teneros, O Mors, disjungis amantes,
Quos bene conveniens conciliavit amor?

XXVI.

LONDINI.

Inter Ceimelia Sloniana.

Gallia me genuit, nomen mihi divitis undae
Concha dedit; formae nominis aptus hŏnos.
Docta per incertas audax diſcurrere ſylvas,
Vallibus hirſutas atque agitare feras.
Non gravibus vinclis unquam conſueta teneri,
Verbera nec niveo corpore ſaeva pati:
Molli namque ſinu domini, dominaeque, jacebam,
Et noram in ſtrato laſſa cubare toro:
Et, plus quam licuit muto, canis ore loquebar,
Nulli latratus pertimuere meos.
Sed jam fata ſubii, partu jactata ſiniſtro;
Quam nunc ſub parvo marmore terra tegit.

XXVII.

ROMAE.

Patri Filius.

Sic pia, ſis foelix ! ſic quod tibi vita beata
Contigit, et cunctis auxilians bonitas !
Nos tamen hic cruciat dolor intimus, et pia cura,
Quod te feſtinans abſtulit atra dies.
Numina nunc inferna precor, patri date lucos
Queis eſt purpureus perpetuuſque dies.
Huic certe, ut decuit, cuncta eſt data cura ſepulchro,
Texeruntque favi de Siculis apibus.

XXVIII.

ROMAE.

Conditus hic amor eſt, dictus de nomine patris,
Heu ! miſeri patris conditus hic amor eſt.
Gallia quem genuit, de gente Novempopulana,
Itala terra tegit Gallia quem genuit.
Nobilis ingenio, docuit jus inclyta Roma,
Oppetiit fatis, nobilis ingenio.

Laeſeris hunc tumulum ſi quiſquam, in Tartara pergas,
Atque expers tumuli, laeſeris hunc tumulum.

XXIX.

In Oppido FABRICA in Faliscis

Hic Aquilae cineres miſerabilis urna ſepultos
Contegit, et fatis exproperata nimis.
Occidit infoelix, caepto modo flore juventae,
Quem finiît annus ſeptimus et decimus.
Formoſus, frugi, caſtus, pius. A patre moeſto
Accepit tumulos quos dare debuerat.

XXX.

CORFINII.

Q. Caecilio. Q. Fil. Pat. Optato.
Vixit An ii. Mens. vi.

Hic jacet Optatus, pietatis nobilis infans,
Cui precor ut cineres ſint ia, ſintque roſae.
Terraque, quae mater nunc eſt ſibi, ſit levis, oro,
Namque gravis nulli vita fuit pueri.
Ergo, quod miſeri poſſunt praeſtare parentes,
Hunc titulum nato conſtituere ſuo.

XXXI.

ROMAE.

In Lapide quadrato.

ARTIMETUS Sibi et Claudiae HOMONOEAE conlibertae et contubernanali.

I. Homonoea.

Tu, qui ſecura procedis mente, parumper
Siſte gradum, quaeſo, verbaque pauca lege.
Illa ego quae claris fueram praelata puellis,
Hoc Homonoea brevi condita ſum tumulo.
Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos aetas mea viderat annos,
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc. Morte eſt mihi triſtior ipſa
Moeror Atimeti conjugis ille mei.

II. Atimetus.

Si penſare animas ſinerent crudelia fata,
Et poſſet redimi morte aliena ſalus,
Quantulacunque meae debentur tempora vitae,
Penſaſſem pro te, cara Homonoea, libens.

At nunc, quod poſſum, fugiam lucemque deoſque,
Ut te matura per Styga morte ſequar.

III. Homonoea.

Parce tuum, conjux, fletu quaſſare juventam,
Fataque moerendo ſollicitare mea.
Nil proſunt lacrymae, nec poſſunt fata moveri;
Viximus. Hic omnes exitus unus habet.
Parce; ita non unquam ſimilem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quodque meae eripuit mors immatura juventae,
Id tibi victuro proroget ulterius.

IV. Atimetus.

Sit tibi terra levis, mulier digniſſima vita;
Quaeque Tuis olim perfruerere bonis.

XXXII.

Dis Avibus.

Luſciniae Philumenae, ex aviario Domitior.
Selectae, verſicolori, pulcherrimae, cantrici
Suaviſſ. omnibus gratiis ad digitum pipilanti,
In poculo myrrhino caput abluenti
Infoeliciter ſummerſae. Heu miſella
Avicula! hinc inde volitabas, tota

Garrula, tota feſtiva, latitans modo
Inter pulla Leptynis loculamenta.
Implumis, frigidula, clauſis ocellis!
Licinia, Philumenae, deliciae ſuae,
Quam in ſinu paſtillis alebat,
In proprio cubiculo, alumnae cariſſimae,
Lacrumans poſ.
Habe avis jocondiſſima, quae mihi volans
Obvia, blando perſonans roſtello ſalve,
Toties ceciniſti, habe avis, avia Averna!
Vale, et vola per Elyſium!

In cavea picta ſaltans quae dulce canebat,
Muta tenebroſa nunc jacet in cavea.

XXXIII.

ROMAE.

Muſa et Megiſte et Oneſimus Alumnae Dulciſſimae
F.
Vixit An. i. Mens. xi. Dieb. xx.

Nata, ſed in lacrymas ſolum, dolor omnibus infans,
Hic ſita ſum. Vixi tempus inane meum.

Annus erat natae primus: mox deinde ſecundi
Liminibus rapuit me ſibi Perſephone.

XXXIV.

Effoſſ. In Agro Aptensi.

Boriſthenes Alanus,
Caeſareus veredus;
Per aequor et paludes,
Et tumulos Hetruſcos,
Volare qui ſolebat;
Pannonios, nec ullus,
Illi apros inſequenti,
Dente aper albicanti,
Auſus fuit nocere,
Vel extimam ſaliva
Sparſit ab ore caudam;
Ut ſolet evenire.
Sed integer juventa,
Inviolatus artus,
Die ſuo peremptus,
Hoc ſitus eſt in agro.

XXXV.

ROMAE.

Haec tenet urna duos, ſexu ſed diſpare, fratres,
Quos uno Lacheſis merſit acerba die.
Ora puer dubiae ſignans lanugine veſtis,
Vix hiemes licuit cui geminaſſe novem:
Nec thalamis longinqua ſoror, trieteride quinta,
Taenarias crudo funere vidit aquas.
Ille Remi Latio fictum de ſanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Aſt haec Grajugenam reſonans Arcontia linguam,
Nomina virgineo non tulit apta choro.

XXXVI.

In PONTE SALARIO.

Tertio ab Urbe Lapide ſuper ANIENEM.

Quam bene curvati directa eſt ſemita pontis,
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas ſubjecti gurgitis undas,
Et libet iratae cernere murmur aquae.

Ite igitur faciles per gaudia veſtra, Quirites,
Et Narſim reſonans plauſus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

XXXVII.

ROMAE.

Eucharis Liciniae L.

Vixit ANN. xiiii.

Heus, oculo errante quei aſpicis lethi domum,
Morare greſſum, et titulum noſtrum perlege;
Amor parentis quem dedit natae ſuae,
Ubei ſe relliquiae conlocarent corporis.
Heic viridis aetas cum floreret artibus,
Creſcente et aevo gloriam conſcenderet,
Properavit hora triſtis fatalis mea,
Et denegavit ultra veitae ſpiritum.
Docta, erodita paene Muſarum manu,
Quae modo nobilium ludos decoravi choro,
Et Graeca in ſcaena prima populo apparui,
En, hoc in tumulo, cinerem noſtri corporis
Infiſtae Parcae depoſierunt carmine.

Studium patronae, cura, amor, laudes, decus,
Silent ambuſto corpore, et letho jacent.
Reliqui fletum nata genitori meo,
Et anteceſſi genita poſt lethi diem.
Bis hic ſepteni mecum natales dies
Tenebris tenentur, Ditis aeterna domu.
Rogo, ut diſcedens terram mihi dicas levem.

XXXVIII.
ROMAE.

Immatura quies quos abſtulit, hic ſitî ſunt tres,
Mater, cum parvis pignoribus geminis.
Pollia Saturnina parens triginta per annos
Vixit, et enituit docta ſonare mele.
Octo puer Titius, proles cito rapta, Philippus;
Et fratri tenero carior una ſoror,
Aelia Saturnina, obît uno inſuper anno;
Nec ſaltus vitam protulit aut choreae.

XXXIX.
ROMAE.

Qui colitis Cybelen, et qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat, et tacita Dyndima nocte ſilent,

Flete meos cineres: non eſt alienus in illis
  Hector, et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego, qui magni parvus cognominis haeres,
  Corpore in exiguo res numeroſa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palaeſtra,
  Ferre jocos, aſtu fallere, noſſe fidem.
At tibi dent Superi quantum, Domitilla, mereris,
  Quae facis exigua ne jaceamus humo.

XL.

ROMAE.

LESBIAE oſſa hic ſita ſunt.

Hoſpes ſta, et lacruma, ſi quicquam humanitus in te eſt,
  Oſſua dum cernis conſita moeſta mihi.
Quoius laudati mores, et forma probata eſt
  Anchialo, quem cura anxia debilitat.
Leſbia ſum, quae dulcis mores ſola reliqui,
  Et vitam vivens parui in officeis.
Sei nomen quaeris, ſum Leſbia; ſi duo amantes,
  Anchialus dulcis, cum ſuave homine Spurio.
Sed quid ego hoc? Cerno, mea ſunt hic oſſua in olla
  Conſita. Vive, hoſpes, dum licet, atque vale.

XLI.

SPOLETI.

Nymph. Font. Lyſimach. V.

Nymphae, fonticolae Nymphae, quae gurgitis hujus
Aeternùm roſeo tunditis ima pede:
Lyſimachum ſervate! ſub alta maxima pinu
Numinibus poſuit qui ſimulacra tueis.

XLII.

TIBURE.

Aſtorio meritam dicat hanc Octavius aram,
Acri homini, atque alacri, forti, fido, atque venuſto.
Cui domus Aſirius fuerat, cui Quintio nomen.
Hic in flore cubat, longum ſecurus in aevom,
Poſt ter vicenos et tres bene conditus annos.

XLIII.

MEDIOLANI.

Siſte gradum, quamvis fugiat levis hora, viator,
Sic fati nullus te dolor exanimet:

Leſbia, quam tulerat tellus pulcherrima Tarſis,
Jndicio ſit amor totius Heſperiae,
Quam ereptam terris pia numina ſubtraxerunt,
Hanc ſibi ſola domum corpori' conſtituit.

XLIV.

VERONAE.

Effoſſ. in Calabria.

PANI Cuſtod.....

Sub imagine Panis rudi Lapide.

Heic ſtans vertice montium ſupremo
Pan, glaucei nemoris nitere fructus
Cerno deſuper, uberemque ſylvam.
Quod ſi purpureae, viator, uvae
Te deſiderium capit, roganti
Non totum invideo tibi racemum.
Quin ſi fraude mala quid hinc reportes,
Hoc poenas luito caput bacillo.

XLV.

MEDIOLANI.

D. M.

Avus M. Nepot. optum. Mar.

Vix. An. xiii. Mens. xi. Dieb. x.

O dulcis puer, O venuſte Marce,
O multi puer et meri leporis,
Feſtivi puer ingenî, valeto!
Ergo cum, virideis vigens per annos,
Aevi ver ageres novum tenelli,
Vidiſti Stygias peremptus undas?
Tuum, moeſtus Avus, tuum Propinqui
Os plenum lepida loquacitate,
Et riſus facileis tuos requirunt.
Te luſus, puer, in ſuos ſuëtos
Aequales vocitant tui frequenter.
At ſurdus recubas, trahiſque ſomnos
Cunctis denique, Marce, dormiundos.

XLVI.

Effoſſ. circa ATHESTAM Agri Patavini.

[Inſcript. Urnae, cui incluſae erant duae ampullae, altera ex auro, altera ex argento, liquoris plenae liquidiſſimi.]

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore,
Vaſe ſub hoc modico, Maximus Olybrius.
Adſit foecundo cuſtos tibi Copia cornu,
Ne pretium tanti diſpereat laticis.

XLVII.

VERONAE.

D. M.

Sororis Suaviſſ.

Et lac, et vini pateras, et liquida mella,
Jam tibi in extremas do, ſoror, inferias.
Lac quod libo novum eſt, Rhodio de palmite vinum,
Expreſſumque favis mel fero Cecropiis.

FINIS INSCRIPTIONUM.

NOTULAE.

I. CATULLI prorſus ingenio et aetate dignum credidit hoc carmen Raphael Fabrettus, a quo profertur apud INSCRIPTIONES ANTIQUAS, *edit.* Romae, 1699. pag. LXIV. N°. 2. Itidem ab Antonio Muratorio, apud NOVUM THESAUR. VET. INSCRIPTIONUM, Tom. 3. pag. MDCCV. N°. 6. Claſſ. 23. SINGUL. QUISQ. &c. *edit.* Mediolani, 1739. Recenſetur etiam, nec ſine laude, apud MUSAEUM VERONENSE Sc. Maffaei, pag. CLXXIV. *edit.* Veronae, 1749.

Ver. 13. *Sic Hecuba, &c.* Necui forſan argutior videatur haec ſententia, et recentioris ſaeculi delicias ſapere, admonitum velim lectorem, eadem fere uſum fuiſſe Callimachum; qualem nec improbat M. Tullius. " Quanquam non male ait Callimachus, multo ſaepius lacrymaſſe Priamum quam Troilum." TUSC. DISP. Lib. 1.

II. Apud Gruteri CORPUS INSCRIPTIONUM, Fol. ex officina Antonii Halmae, 1707, ſive ex officina Commeliniana, 1616, pag. DCLIV. N°. 3. Et Mazochii EPIGRAMMATA ANTIQUAE URBIS, Fol. LIX. verſo, *edit.* Romae, 1521.

Ver. 13... *Exiguis*.... Legit EXUVIIS Mazochius. Legitur EXUTIS, apud EPIGRAMMATA et POEMATIA VET. Lib. 3. pag. 142. *edit.* Pariſiis, 1590. a Petro Pithoeo.

III. Apud Fabrettum, pag. LXIV. N°. 2. In tit. hujus carminis legend. putat " CLODIAE" pro EUODIAE, Reineſius, apud SYNTAGMA INSCRIPTION. ANTIQ. pag. DCCCLV. N°. 143. *edit.* Lipſiae, 1682. Huc adnotandum eſt, reperiri NOMM. " CLODIA CYPARE," in marmore a Martino Smetio deſcripto, apud INSCRIPTIONUM ANTIQ. QUAE PASSIM PER EUROPAM, LIB. &c. *edit.* Lugdun. Bat. 1589. Fol. c. verſo. N°. 10. v. g.

CLODIA . CYPARE
DULCISSIMA . SOROR
C . AEDISCUS . PRISCUS.

IV. Apud Fabrettum, pag. CXC. N°. 441. Et Reineſium, pag. DCCCLXXIX, N°. 51. Ad ſpuria et ſuppoſititia relegatur a Grutero, pag. XVII, N°. 1. ſed, ut videtur, immerito.

Ver. 26. *Ni tecum aſſidue, &c.* Ne venuſtas hujuſce diſtichi penitus intereat, adnotandum eſt, in medio tabellae marmoreae qua deſcriptum proſtat iſthoc Epigramma, eſſe foramen, vocibus, ſuſpiriis, lacrymiſque immitendis factum; quale, temere nimis, dixit Reineſius, " Marmorarii Luſum," pag. DCCCLX. De cujuſmodi foraminibus permulta erudite congeſſit Fabrettus, cap. 2. pag. LXIII. &c. Quin et Montfaucon. *Antiq. Expli.* Tom. 5. Part. 1. pag. CXVII. *edit.* Paris. 1722. Porro ad iſtiuſmodi foramina, quae vetuſtis monumentis cernere eſt frequentiſſima, reſpexiſſe crediderim veteres poetas, quibus ad eo familiare eſt loqui de lacrymis apud ſepulchra fuſis. Hinc illuſtrari poſſit ſubobſcurus Propertii locus.

Deſine, Paule, meum lacrymis, URGERE ſepulchrum. 4. II. 1.

Hunc vero morem ſatis aperte ſive innuunt ſive explicant veteris ſepulchr. carminis iſta, a Reineſio citati, pag. DCCLII. N°. 105.

INJICE, ſi pietas uſquam eſt, SUSPIRIA, et imple
Mecum, hoſpes, lacrimis MARMORIS HOC VACUUM.

Huc etiam facit, quod ſequitur, Epigrammatis elegantiſſimi ſupremum diſtichon, N°. V. Nonnunquam unguenta pretioſa cum lacrymis miſcebant; ut patet ex Inſcript. apud Montfaucon. loco modo citat.

C . LAELIO . C . T . IU.
MAGNA . OMNIUM . EXPECTATIONE
GENITO
ET . DECIMO . OCTAVO . AETATIS
ANNO
AB . IMMANI . ATROPO . A . VITA
RECISO
FUSCA . MATER
AD . LUCTUM . ET . GEMITUM . RELICTA
CUM . LACRIMIS . ET . OPOBALSA
MO . UDUM.

Aliquando phialis ad hoc utebantur.

V. Apud Gruterum, pag. DCCCLXXXII. N°. 3. Emendatum, quale vides, habetur apud MUSAEUM VERON. pag. CLXIV. Et apud Fabrettum, pag. CC. N°. 3. Et Montfaucon. Tom. 5. Part 1. pag. CXVI. Et Smetium, fol. CXXXI. verſo. N°. 9.

Ver. 32. *Siqua tibi fuerit* ... Legit Smetius, qui vidit hoc marmor, QUOD SI FORTE TIBI FUERIT. Metro nequaquam ſalvo.

VI. Apud Gruterum, pag. DCLXIX. N°. 8.

Ver. 36.... *Vocitabar*. Ita legit Phil. Labbeus apud THESAUR. EPITAPH. &c. pag. 7. *edit.* Pariſiis, 1666. Itidem Ferretius, inter MUSAS LAPIDARIAS, pag. CCLXXI. *edit.* Veronae, 1672. VOCITABATUR, Gruterus.

Ver. 41. *Vetuerunt*... Ita legitur, inter EPIG. et POEM. VET. Lib. 3. pag. 134. Caeteri fere omnes, ſed perperam, VENERUNT.

VII. Apud Sponium, inter MISCELL. ERUDITAE ANTIQ. pag. LXXXIV. *edit.* Lugdun. 1685. Et Fabrettum, pag. CCXXX. N°. 607.

Ver. 49... *Maximas*. Legit MUSICAS Sponius. MAXIMAS Fabrettus.

Ver. 53... *Proſperante*... PROSPERANTI leg. Fabrett. et Spon. Ut purus putus Iambicus fiat verſiculus, repoſuimus PROSPERANTE.

VIII. Apud Gruterum, pag. DCCCCVIII. N°. 1. Et Muratorium, Tom. 3. pag. MDCLXIV. Claſſ. 23. N°. 13. SINGUL. QUISQ. &c.

Ver. 62. *Saepe et formoſas triſtia fata*.. Legit FORMOSAE Muratorius; quaeritque ſubinde, annon legend. FORMOSAS.

IX. Apud Sponium, MISCELL. ERUDIT. ANTIQ. pag. CCCLXXVI. Qui dicit iſtud Epigramma, a Grutero mendoſe editum, ſe primum priſtino nitori ac ſenſui reſtitutum protuliſſe. Vereor autem, ut ſibi plus aequo arroget vir eruditus. Etenim, longe ante Sponium natum, Petrus Pithoeus emendaverat, et inter EPIG. et POEMAT. VET. exhibuerat, quale apud Sponium omnino legitur: hoc tantum excepto, quod, in ſenario ultimo, pro INNOCENTIAE, legat Sponius INNOCENTIS. Vid. EMENDAT. ad Calc. pag. 463. *edit.* 1619. Illud utcunque ſe habuerit, id monuit nos Sponius, exiſtimaſſe Scaligerum, alicujus elegantis Poetae comici hoc Epigramma fuiſſe, Afranii puta aut Titinii, quo pater aliquis familias in comoedia ſuos adloqueretur. Ex Epiſtola quadam Mſs. Scaligeri ad Puteanum.

X. Apud Gruterum, pag. MCXXIII. N°. 7. Et Fabrettum, pag. CCXXXIII. N°. 3. Porro exhibentur, verum ex parte tantum, priores octo verſiculi, qui ſane pluſquam dimidiati ſunt, apud Sc. Maffaei MUS. VERON. pag. CCLVIII.

Ver. 90... *Pulſabo*... Ita Fabrettus. SULCABO, Gruterus.

Ver. 100. *Die Nepos, &c. &c.* Verſiculos quatuordecim ultimos, partim e Maccarii et Gruteri, partim e Fabretti conjecturis reſtitutos, exhibuimus.

XI. Apud Gruterum, pag. DCCCCXLVIII. N°. 10. Et Muratorium, Tom. 2. pag. DCXXI. Claſſ. 9. SPECTACULORUM, &c. cum Fig. Aurigae Bigae inſidentis. Mazochius male videtur exſcripſiſſe, fol. LVI. Extat etiam apud Smetium, fol. CXIII. verſo, N°. 9.

Ver. 122... *Quae nunquam vina bibiſti.* Notat Muratorius, a vino abſtinuiſſe agitatores. Denique, excidiſſe huic Epigrammati videtur ultimus verſiculus.

XII. Apud Gruterum, pag. CLXXXII. Et Sponium, ubi ſupr. pag. XXXVII. Et Montfaucon, Tom. 1. L. 4. Part. 2. C. 6. pag. CCCLXXXVIII. Cum imagine Nymphae dormientis. Et Boiſſardum, TOPOGRAPH. ROMANAE URBIS. Et Graevii THESAUR. ANTIQ. ROMANAR. Tom. 12. pag. DCCCLIX. *edit.* Lugdun. Bat. 1699. et Tom. 4. pag. MDCCLXXXVII. Et Ferretium, pag. CVIII. Et apud EPIG. et POEM. VET. Lib. 1. pag. 3. Alioſque. An vero laudatiſſimum carmen revera ſit antiqui marmoris, ex iſta Smetii Notatiuncula ſubdubitari poſſit, niſi ſingularis ipſius lepos eidem facile locum concederet inter probatiſſima vetuſtatis eruditae monumenta. " Hoc Epigramma, recenti marmore nuper inciſum, in hortulo Colotiano, ad aquae virginis ductum, qua aquae digitus per canalem educitur, collocatum eſt. Sed an vere antiquum ſit, et in vetuſto marmore alibi olim extiterit, neſcio." pag. CXLVI. N°. 6. Porro, voces BIBE, LAVA, TACE, ſolenne erat marmoribus adſcribere Nymphis fontium ſacratis. Gruterus, pag. XCIII. N°. 12.

NYMPHIS . LOCI
BIBE . LAVA
TACE.

Quod, a Grutero utcunque ſuſpectum, a Fabricio, Boiſſardo, aliiſque affertur.

XIII. Apud Gruterum, pag. CCCXL. N°. 4. Et Graevii THESAUR. Tom. 12. pag. MCCLV.

XIV. Apud Gruterum, pag. DCCCCXLIII. Et Mazochium, fol. XXXIII. Et Smetium, fol. CLXXXIV. verſo. N°. 8.

Ver. 143... *Aram.* Quam pereleganti opere ornatam deſcribit Smetius: quam et exhibet Gruterus, ubi ſupra. *edit.* An. Halmae. Et Sponius, MISCELL. ERUDIT. ANT. pag. CXVIII. N°. 5.

Ver. 144. *Et gratam cape ſis, docta Pedana, chelyn.* " CAEPSIT pro CAPE SIS" apud Grut. et Smet. CAPE SIT apud Mazoch. CAPE SIS apud P. Labbeum, THESAUR. EPITAPH. pag. 53.

XV. Apud Gruterum, pag. DCCCXLIII. N°. 2. Et Mazochium, fol. LXXXVII. verſo.

Ver. 147. *Muſa*... CARTA Mazoch. Et P. Pithoeus, EPIG. et POEM. VET. Lib. 2. pag. 128. male.

Ver. 150. *Manibus*... Sc. Dii Inferi: non autem Defunctorum Animae. Atque hic loci ſubnotandum duxi obiter, pro DIIS MANIBUS, Inſcription. Sepulchral. praefixis, nonnunquam legi INFERIS D. DEAB. Ut in ſequenti lapide.

INFERIS . D . DEAB . Q
VIBIUS . ADULESCENS
INTEMPERATO . AMORE
PERCITUS . PUTILLIAE
SEX . PUELLAE . INGRATISS
QUOD . ALTERI . ULTRO
TRADIT . NON . SUSTI
NENS . CRUENTO . GLA
DIO . SIBIMET . MORTEM
CONSCIVIT . VIX . ANN
XIX . M . II . D . IX . HORAS
SCIT . NEMO.

Vid. Notas in Albii Tibulli Lib. 2. Eleg. 7. Ver. 1. Amſtaeladam. Ex Officin. Wetſten. 1708. qu°.

XVI. Eidem, ut videtur, LATINAE. Apud Smetium, fol. CXII, verſo. N°. 8. Et Mazochium, fol. LXXXVII, verſo. Et Gruterum, pag. M. N°. 9.

Ver. 156... *Tui prohibet me cinerem eſſe rogi.* Sc. " Efficit quo minus tecum unà, O Nata, comburerer eodem rogo, quod mallem fieri."

XVII. Apud Reineſium, pag. DCLXI. N°. 30. Et Muratorium, Tom. 3. pag. MCCXXXV. Claſſ. 17. N°. 1. AFFECTUS PARENTUM, &c. ſed mutilatum. Vide etiam Chytraeum, DELIC. ITIN. EUROP. Nos punctis diſtinctum, Epigramma mellitiſſimum, quibus antea deſtitutum proſtitit, edidimus. Idem vero, quippe quod metro non ſit factum, rationem inſtituti noſtri videatur excedere. Quin cum poetica quadam ſuavitate condiatur et elegantia, et paene numero-

ſum ſit, haud prorſus alienum delectus hujuſce judicavimus. Eadem quoque venia dignum Carmen XXXII. cenſemus.

XVIII. Apud Jo. Baptiſtae Donii INSCRIPT. ANTIQ. pag. CCCCXXI. *edit.* Florentiae, 1731. Et Muratorium, Tom. I. pag. ult. N°. 3. COLLEGIA VARIA.

Ver. 171. *Namque Sodalitii ſacravit Turba*... Quaenam fuerit iſta SODALITII TURBA, parum liquido conſtat.

Ver. 173. *Solito de more*... Simili fere ratione dixit Catullus, ad Fratris Tumulum.

> Nunc tamen interea, priſco quae more parentum
> Tradita ſunt triſtis munera ad inferias,
> Accipe. . . . . CARM. 101.

XIX. Conditiſſimum hoc Carmen, tanquam vetus Epigramma, recenſetur in libro pererudito, cui Tit. Miſcellaneous Obſervations on various Authors. Vol. 2. pag. ult. *edit.* Londini. Idem vero me prorſus ſive delituiſſe ſive fugiſſe fateor, elegantias antiquorum marmorum, diligenter licet, indagantem.

XX. Apud Muratorium, Tom. I. pag. DXXXIX. N°. I. Claſſ. COLLEGIA VARIA. Et Ludovici Vedriani HISTOR. MUTINENS. Tom. I.

Ver. 183. *Vivens*... VIVA, Muratorius.

Ver. 188. *Ne patiare meis tumulis increſcere ſylvas.* Ευφωνίᾳ conſultum magis eſſet legendo, NE TUMULIS PATIARE MEIS.

XXI. Apud Fabrettum, pag. CCXXXVIII. N°. 635. Litteras Commodi aetatem prae ſe ferre monemur, apud Marq. Gudii ANTIQ. INSCRIPT. a Franciſc. Heſſelio, *edit.* Leovardiae, 1731. pag. CCXXVII, N°. 4.

XXII. Apud Donium, pag. CCCLXXI. N°. 75. Et Muratorium, Tom. 3. pag. MDXXXVIII. N°. 8. Claſſ. 21. AFFECTUS LIBERT. &c. Et Mazochium, fol. XXXIX, verſo.

Ver. 195. *Gelli*... COELI, Mazoch.

Ver. 199 *Fata*... Legit FILA Murator. minus eleganter et proprie.

XXIII. Apud Fabrettum, CCXXXVIII. N°. 636.

Ver. 208...*Fuit.* Qui ſequuntur, apud Fabrettum, verſiculi quatuor aliunde huc relati videntur. Vid. P. Labbaei THESAUR. pag. 65. Et EPIG. et POEM. VET.

XXIV. Apud Gruterum, pag. DCCLXIX. N°. 9. Et Mazochium, fol. CLIV. Et Smetium, fol. CXXVII, verſo. N°. 13. Et apud VET. EPIG. &c. Lib. 2. pag. 120. Diverſo tractu diſponuntur, ſenariorum ordine non ſervato, verſiculi, apud Boiſſardum. Porro, ut ſuus antiquitati conſtaret ſapor, veterem ſcribendi rationem fideliter expreſſimus. Id quod fieri curavimus etiam, CARM. XXXVII. infrà. Aliiſque nonnullis.

Proſtitit iſtud Carmen in Tiburtino lapide vetuſtiſſimo, quod jamdiu periit, in pulverem redactus. Laudatur et explicatur apud DIALOGI Del Sig. D. Antonio Auguſtini, *in Roma* 1600. pag. CCLXXII.

Ver. 216... *Abei.* Vox ſolennis: epitaphiorum vetuſtiorum maxime propria, in fine accedens. Similiter Tetraſtichon Pacuvio Poetae factum.

Adoleſcens, tamenetſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Uti ad ſe adſpicias; deinde, quod ſcriptum eſt legas.
Hic ſunt Poetae Marcei Pacuviei ſita
Oſſa. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Abei.

Supereſt apud Aul. Gell. NOCT. ATT. Lib. 1. cap. 24. Qui praeterea dicit iſtud Carmen eſſe, " Verecundiſſimum, et puriſſimum, dignumque Ejus elegantiſſima gravitate." Emendavit autem, quale hic legitur, G. J. Voſſius, INSTITUT. POET. Lib. 3. cap. 21.

XXV. Apud Fabrettum, pag. CLXXXVIII, N°. 431.

Ver. 223. *Namque ego...* Deeſt EGO apud Fabrett.

Ver. 226...*Cordiolum.* Vox priſcis Latinis non inuſitata. Occurrit apud Plautum.

XXVI. Catellae eſt. Apud MUS. VERONENS. pag. CCCCXLIV. N°. 6. Adeat Lector eruditiſſimum Libellum Jacobi Gutherii, DE JURE MANIUM; ſub cap. 37. De FUNERIBUS ET SEPULTURA BRUTORUM, inter Graevii THESAUR. &c. Tom. 5. pag. MCCLVII.

Ver. 240...*Tegit.* TEGET. Sc. Maff. MUS. VERON.

XXVII. Apud Smetium, fol. CIX. N°. 8. Et Mazochium, fol. XXVIII. Et Gruterum, DCCXLVIII. Et Muratorium, Tom. 3. pag. MDCCLIX. Claſſ. 23. N°. 7. SINGUL. QUISQ. &c.

Ver. 241...*Sis foelix*...Alii SIC pro " SIS."

Ver. 243...*Intimus*...ANXIUS, Mazoch. Et Murator.

Ver. 246. *Queis eſt*... IN QUIS, Smetius.

Ver. 247...*Huic certe, ut meruit, cuncta eſt data cura ſepulchro.* Legunt Mazoch. et Murator.

QUOD . CERTE . HIC . MERUIT . CUNCTA . EST . DATA . CURA . SEPULCRO

Ver. 248. *Texeruntque favi*...Sc. " Patris corpus;" cui filius e melle optimo condimentum fecerat.

XXVIII. Apud Gruterum, DCLXVII. N°. 10. Et Smetium, fol. CXII. verſo. N°. 12.

Ver. 249...*Novempopulana*. Provincia Galliae. Hodie *Gaſcoigne*.

XXIX. Apud Gruterum, DCLXIX, N°. 10. Et Smetium, fol. CXXXVI. N°. 8. Et Muratorium, Tom. 2. pag. MCXXXIV. N°. 1. AFFECTUS PARENT. &c.

Ver. 261. 262...*A patre moeſto*
Accepit tumulos quos dare debuerat. M. Tullius, de Catone ſuo nuperrime defuncto. " Quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate praeſtantior. Cujus a me corpus crematum eſt; quod contra decuit ab illo meum." De SENECTUT. Frequentiſſima vox eſt patrum defunctis filiis, ſive ſeniorum qui ſibi natu minoribus parentant.

XXX. Apud Gudium, ut ſupr. pag. CCXXXI. N°. 1. Et Fabrett.

Ver. 264...*Cui, precor, ut cineres, ſint ia, ſintque roſae.* Ita iſtud Pentametrum Fabrettus expreſſit. Vox IA Graeca eſt, Sc. " Violae;" Nom. plural. Num. τὸ ἰον, *viola*. Senſus eſt; " Precor, ut violae et roſae pullulent ex ejus favilla; ſive," Ut cineres ejus convertantur in violas et roſas." Quod ſi duriuſculum videatur, legi poſſit AD pro UT.

CUI . PRECOR . AD . CINERES. SINT . IA . SINTQUE . ROSAE

Peſſime Gudius,

CUI . PRECOR . UT . CINERES . SINT . LILIA . SINTQUE . ROSAE

Dempta autem Voc. SINT, ſtaret tum ſenſus tum metrum.

Ver. 263. *Hunc*...Ita Fabrett. NUNC, Gudius.

XXXI. Apud Mazochium, fol. CLXIV. Et Smetium, fol. CXXIV. N°. 5. Accedit inſuper huic monumento Graecum carmen, ab iiſdem etiam deſcriptum; quod, ne ſuus elegantiſſimo lapidi deſit cumulus, hic ſubtexere viſum eſt.

Η πολυ Σειρηνων λιγυρωτερα, η παρα Βακχω,
Και θοιναις αυλης χρυσοτερη Κυπριδος,
Η λαλιη φλιαρη τε χελειδονος, ενθ' Ομονοια
Κειμαι, Αλιμηλω λειπομενη δακρυα,
Τω πελον ασπασιη βαινς απο· τηνδε τοσαυλην
Δαιμων απροιδης εσχεδασεν φιλιην.

Quod, et exhibet Gruterus, pag. DCVII. Ejuſdem vero Graeci Carminis Latinam verſionem, Inſcriptionis more expreſſam, e Panvinii VERONENS. ANTIQUITATIBUS arreptam, quaſi vetus Epigramma lapidarium, afferunt Reineſius, pag. DCXCVI. N°. 136. Et Sponius, ut ſupr. pag. CVI. Quibus in antiquorum marmorum perveſtigatione verſatiſſimis non patuiſſe fraudem, cùm plane mirer, tum miror etiam magis Ferretii frontem, qui citat iſtam verſionem, dicitque extare, " In antiquiſſimo Lapide." pag. CVI.

XXXII. Antiquo vaſi, minutiſſimis characteribus inſculptum, proſtat. Habetur apud Fabrettum CCCXXXII. N°. 494. Sed mendoſum valde, et perobſcurum. Nos conjecturis, ut licuit, adhibitis, omnia ad nitorem priſtinum revocare conati ſumus.

Ver. 301...*Inter pulla*, &c. Quoddam ſupellectilis genus apud Romanos uſitati, nec vulgaris fortaſſe pretii, nobis ignotum ſubintelligitur. Vereor ut ſana ſit lectio vox LEPTYNIS.

Ver. 304...*Paſtillis*...Conjecerat amicus, legend. PAPILLIS.

XXXIII. Apud Gruterum, pag. DCLIX, N°. 7. Et Fabrettum, pag. CLXXXIX. N°. 433. Et Muratorium, Tom. 3. pag. MDCCLXXI. Claſſ. 23. N°. 2. SINGUL. QUISQ. &c.

Ver. 311. *Nata ſed, &c.*....Mendoſiſſimè exprimitur iſte verſiculus, apud Murator. et P. Labbaei THESAUR. pag. 72.

Ver. 312...*Meum.* MEIS, Fabrett.

Ver. 313. 314... *Secundi*
Liminibus..... i. e. INITIO SECUNDI, ut monuit doctiſſ. Marklandus, ad Stat. SYL. Lib. 2. Car. 6. Ver. 70. Inter Notas, pag. 116. Qui et hanc ipſam dictionem, conlatis compluribus conſimilibus, pleniſſime exequitur.

XXXIV. " EFFOS. IN AGRO APTENSI." Ut inquit Gaſſendus, in VITA Peireſkii, pag. 227. qu°. Pariſiis, 1641. Extat apud Montfaucon. Tom. 5. pag. LXXIV, Part. 1.

Ver. 316...*Caeſareus Veredus.* Scil. EQUUS ADRIANI, de quo Lampridius Cap. 20. " Equos & canes ſic amavit, ut ſepulcra conſtituerit." In ADRIANO. In quem locum Cauſabonus hoc adduxit Epigramma. Nos ex emendatione Salmaſii plerumque edidimus. E Graecis Adrianum convertiſſe, credidit Barthius.

XXXV. Apud Fabrettum, pag. CXII. N°. 277. Et Muratorium, Tom. 1. pag. CDVII. N°. 2. Claſſ. v. CONSULES. Et apud Arringhium, L. 4. c. 27. Et Reineſ. pag. DCCCCLXXXV. N°. 380.

XXXVI. Apud Gruter. pag. CLXI. N°. 2. Et Mazochium, fol. IV. verſo.

Ver. 341...*Curvati*...CURBATI Gruter. et Smet. Monet Sponius ſequioris Latinitatis indicem fore B. pro V.

Ver. 347...*Narſim*... Narſes, Eunuchus patricius, copiarum Juſtiniani Imperatoris adverſus Gothos miſſarum dux. Pontem vero, cujus hic loci fit mentio, renovavit. Vid. Agathiae ſcholaſtici Hiſt. de Reb. Geſt. Imp. Juſt. Lib. 2. paſſim. Vide etiam Patris Danielis Hiſt. de Reb. Geſt. Franc. Tom. 1.

XXXVII. Apud Gruter. pag. DCLV. N°. 1. Et Smetium, fol. CXXIX. N°. 1. Citavit, et diſerte notis illuſtravit Anton. Auguſtinus, ſupra memoratus, *Dial.* 10. pag. CCLXVI. *In Roma*, 1600.

Ver. 359. 60. *Quae modo nobilium ludos decoravi choro,*
Et Graeca in ſcaena prima populo apparui,

Pſaltria, ſaltatrix, et mima fuit, inſignis nominis. Quippe quae ludis publicis Nobilium Romanorum ſumptu datis, ſive pſallendo ſive ſaltando, egregie operam navaret, exornandis. Porro, in Graeca Comoedia, quae vocabatur etiam PALLIATA, partes egit. Fabulae autem Plautinae et Terentianae omnes, Graecae nuncupabantur, et palliatae. Expreſſae ſcilicet e Graecis erant, et Graeco agebantur habitu. Pallium, veſtis Graecis communis. Plautus, in CURCULIONE. Act. 2. Sc. 3.

Tum iſti Graeci PALLIATI, &c. . . . . .

Quae vero TOGATAE, PRAETEXTATAE, TUNICATAE dicebantur fabulae, a veſtis genere ſive amictus quo ſingulas indutus exhibebat hiſtrio, id ſibi nominis ſortiebantur.

Ver. 364...*Jacent*. Legunt TACENT Gruter. et Smet. JACENT, P. Pithoeus, EPIG. &c. Lib. 3. pag. 141.

XXXVIII. Apud Gruter. pag. DCLIV. Et Mazochium, fol. XXXI.

XXXIX. Apud Gruterum, pag. DCLV. N°. 3. Et Smetium, fol. CXXIV. verſo. N°. 8. Ubis magnis et formoſis literis exarari dicitur; quales aevi recentioris eſſe Vir doctiſſ. in Praefat. admonuit. Martiali adſcribit Barthius, ADVERSAR.

XL. Apud Gruter. pag. DCCXCIX. N°. 8. Et Mazoch. Carmen profecto perantiquum, Romana poeſi nondum concinnata, nedum lingua, factum; obſcurum alicubi, et duriuſculum; ubique incompoſitum; fortaſſe parum diligenti fide nobis tranſmiſſum. Priſca quadam ſimplicitate praecipue commendatur.

XLI. Hoc, et quae ſequuntur inferius Carmina, Num. XLIV. XLV. et XLVII. nuperime eruta, nondumque typis evulgata, ex Italia non ita pridem tranſmiſit Amicus eruditiſſimus, harum ſtudioſiſſimus elegantiarum.

XLII. Apud Gruter. pag. DCCCLVIII. N°. 12.

XLIII. Apud Grut. pag. DCCCCXVII. N°. 4.

XLIV. Vid. ſupra, Not. ad Carm. XLI.

XLV. Vid. ſupra, Not. ad Carm. XLI.

XLVI. Apud Grut. pag. DCCCCCXXVII. Ubi de iſto Carmine haec notantur. " Circa Atheſtam Agri Patavini, dum ſolito altius ruſtici fodiunt, in

monumento veterrimo, reperta urna coctilis, inſcripta ſex verſibus; intra quam alia item Urnula quatuor verſibus inſcripta; intra eandem minorem Urnulam duae ampullae, altera ex auro, altera ex argento, liquidiſſimi liquoris plenae; in medio earum lucerna ardens, ſed ſtatim extinguebatur, ut retexebatur." Ex conjecturis apud Gruterum videndis expreſſimus.

In minori Urnula qui legebantur inſcripti, verſiculos hic ſubtexere viſum eſt.

ABITE . HINC . PESSIMI . FURES
VOS . QUID . VOSTRIS . VOLTIS
CUM . OCULIS . EMISSICIIS
ABITE . HINC . VESTRO . CUM . MERURIO
PETASATO . CADUCEATOQUE
MAXIMUS . MAXIMI . DONUM
PLOTONI . HOC . SACRUM . FECIT

De Lucernis iſtiuſmodi vid. Boxhornii QUAEST. ROM. cap. XI. Ubi, de quo agimus, adducuntur Carmina.

XLVII. Mecum communicavit, cum tribus aliis, ut praemonui ad Not. Car. XLI. Amicus eruditus, apud Italos agens. Qui Carmen inſuper aliud adjunxit, haud procul a Spoleto, nuper, ut praefertur, erutum: quod tamen ob acumen, et ingenii flexum nimis arceſſitum, quo conſtat ultimum pentametrum, vix adducor ut credam priſci fuiſſe ſaeculi.

D. M.
FILIAE . PATER

HUNC. ORNAT . TUMULUM . LAUS . SIQUA . IN . MARMORE . LAEVI . EST
ET . QUIDQUID . POTUIT . DAEDALUS . EFFICERE
QUEM . PATER . INFOELIX . PONI . CURAVIT . HABERET
UT . DIGNAM . MERITIS . ANNA . SEPULTA . DOMUM
TUQUE . ADEO . FATEARE . HOSPES . PRAESTANTIOR . ESSET
AN . SCULPTURA . OPIFEX . AN . PIETATE . PATER.

FINIS.